

TRACTATUS SECUNDUS

DE PRAECEPTO SPEI

CAPUT UNICUM.

Quid sit spes. 20. - « Per SPEM, quae est secunda

« virtus theologica, intelligitur amor concupiscentiae erga Deum, quo Deum et divina, prae omnibus aliis concupiscibilibus, nobis concupiscimus, ita ut omnia potius parati simus perdere, quam Deum et divina. — De hac quae ritur, quando ejus praeceptum obliget.

Quando obliget per se.

« Resp. I°. Probabile est, praeceptum spei obligare *per se*, cum primum homini usum rationis assecuto, Deus, et beatitudo tamquam finis ad quem tendere debet, sufficienter est propositus; ita ut notabili tempore non differat. Ita Becanus ^{a)}, Turrianus, et caeteri communiter. Et est ratio, quia sine actu spei, nec justificari, nec in justitia divina persistere, nec meritorie operari possumus. — Vide Scholasticos.

Quando per accidens.

« Resp. II°. Praeceptum spei *per accidens* obligat: 1°. Quando actus orationis, poenitentiae, caritatis, etc., in praeecepto sunt, qui sine praevio actu spei exerceri non possunt. Ita auctores citati et Filliuccius ¹. — 2°. Quando quis ita tentatur ^{b)}, ut periculum sit consensus, nisi animus spe erigat. Vide Filliuccium ², Laymann ³, Bonacina ⁴.

« Unde sequentes casus resolvuntur:

« 1°. Mortale peccatum est sperare, sive amare magis (amore concupiscentiae) terrena haec, quam coelestia; v. gr. si quis ita comparatus sit, ut desideret perpetuo degere in hac vita, et Deo relinquere coelum, si sibi relinquat terram.

Antepone re terrena coelestibus, mortale.

« 2°. Mortale item est desperare de consequendo Deo, aut salute et venia peccatorum, aut mediis ad illam consequendam necessariis, v. gr. auxiliis gratiae et emendatione vitae. Quod peccatum ratione parvitatatis materiae non potest esse veniale, cum sit injuriosum misericordiae Dei. — S. Thomas ^{c)}, Laymann ⁵.

Desperare de salute, mortale.

« 3°. Mortale etiam est praesumere de misericordia Dei, v. gr. dum quis sperat id quod est impossibile secundum legem Dei ordinariam; ut, si speres remissionem peccatorum et salutem sine poenitentia, vel per propria merita et vires naturae: vel etiam si quis statuat perseverare in peccatis, quamdiu bene valet, et tamen speret se acturum poenitentiam ante mortem. — S. Thomas ^{d)}, Laymann ^{e)}.

Praesumptio, mortalis.

« 4°. Denique mortale est odisse Deum (odio scilicet abominationis, seu aversionis); v. gr. si Deus displiceat tamquam

Aversio contra Deum, mortalis.

Turrian., in 2^{ae} 2^{ae}, disp. 65, dub. 1. - Auctor. cit.: Becanus, de Virtut. theol., cap. 17, qu. 7, n. 2; Turrianus, in 2^{ae} 2^{ae}, disp. 65, dub. 1. — ¹ Tr. 22, n. 255. — ² Loc. cit.

— ³ Lib. 2, tr. 2, cap. 2, n. 1. — ⁴ Disp. 3, de 1^o Praec. Decal., qu. 3, punct. 2, n. 2 et 3. — ⁵ Lib. 2, tr. 2, cap. 2, n. 3 et 5.

20. - ^{a)} Becanus, de Virtut. theol., cap. 17, qu. 7, n. 3, adducit Bañez dicentem spei praeceptum obligare, quando homo primum venit ad usum rationis; sed ipse addit: « Quae sententia et dura est, et parum probabilis ».

^{b)} Filliuccius non de quocumque peccandi periculo loquitur, sed: « quando graviter [quis] tentatur de praesumptione vel desperatione, cum periculo peccandi. Tunc enim ad peccatum vitandum tenetur sperare et timere ».

^{c)} S. Thomas, 2^a 2^{ae}, qu. 20, art. 3, hoc plane innuit, dicens desperationem esse gravissimum inter peccata mortalia.

^{d)} S. Thomas, loc. cit., qu. 21, art. 1, dicit praesumptionem esse speciem peccati in Spiritum Sanctum; et in resp. ad 1, dicit per eam diminui divinam virtutem.

^{e)} Laymann, loc. cit., n. 3 et 5, ita quidem docet; sed ultimum exemplum silentio praetermittit.

« nobis infestus, propter vindictam peccatorum. — Vide Laymann¹, Bonacina² ».

21. - SPES brevius et congruentius sic definitur: *Est virtus, per quam cum certa fiducia futuram beatitudinem et ejus media assequenda exspectamus per Dei auxilium.* — Objectum *materiale* *primarium* spei (nempe id quod sperare debemus) est aeterna beatitudo, quae est ipse Deus fruendus; *secundarium* autem sunt divinae gratiae, atque nostra bona opera divino auxilio exsequenda. — Objectum vero *formale* (sive motivum propter quod sperare tenemur), alii dicunt esse Dei misericordiam; alii, divinam omnipotentiam, prout communiter tenent thomistae; alii, divinam promissionem, sicut sentit Jueninus. Alii tandem dicunt esse divinam bonitatem, in quantum ipsa nobis communicat auxilia ad salutem assequendam; et juxta hanc intelligentiam, bonitas idem est quam divina misericordia: si quis enim vellet objectum formale spei esse Dei bonitatem, in quantum ipse est res sperata, sapienter ait Continuator Tournely³, quod non bene loqueretur.

His autem positis, concludendum puto, quod prima tria praefata motiva constituunt objectum *formale* spei, nempe misericordia et omnipotentia divina, qua Deus nobis auxilia impertitur ad salutis hostes superandos; et haec duo motiva expresse docentur a S. Thoma⁴, ubi ait: *Ita... formale objectum spei est auxilium divinae potestatis et pietatis; propter quod tendit motus spei in bona sperata, quae sunt materiale objectum spei.* Censeo insuper, his duobus omnino tertium addendum motivum, nempe divinam promissionem, prout recte sentit Jueninus, sive divinam fidelitatem circa promissionem, quam exhibuit salvandi nos propter merita Christi; alias, sine hac promissione non valeamus salutem cum certa fiducia sperare.

VITIA autem opposita spei, ut supra dictum est, sunt *desperatio* et *praesumptio*. — Circa praesumptionem notandum, quod ille de praesumptione peccat, qui salutem sperat, vel tantum propter me-

rita propria, vel tantum propter merita Christi, absque ulla cooperatione suorum bonorum operum.

Dicit Busenbaum hic (*n. 20 ad 3*), peccare graviter eum, qui vult in peccato perseverare usque ad mortem, sperans quod poenitebit ante mortem; et citat S. Thomam et Laymann. — Sed hoc non dicunt neque S. Thomas, neque Laymann. S. Thomas enim⁵ docet tantum, quod praesumptio sit (sunt ejus verba): *cum aliquis sperat se veniam obtinere sine poenitentia, vel gloriam sine meritis.* Addit autem⁶, quod *peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, ad praesumptionem pertinet. Et... auget peccatum. Peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae, cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato, hoc non est praesumptionis; sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* Quare, secundum S. Thomam, non est peccatum contra spem, velle perseverare in peccato sub spe aliquando poenitendi. Verum est tamen, quod difficulter hic posset excusari a peccato gravi contra caritatem erga seipsum; cum ex communi consensu DD., qui sic proponeret, magno periculo suae damnationis se exponeret.

Hinc recte ajunt Bonacina, Sporer⁷ et Croix⁸, quod qui differt poenitentiam sub spe veniae, non peccat contra spem: dum spes illa remissionis tantum concomitanter se habet ad peccatum, sed non efficitur illi motivum sive ratio peccandi. Idem dicendum de eo qui peccat sub spe veniae. Tunc autem judicandus est aliquis contra spem peccare, quando spei facilitas de venia obtinenda fieret illi ratio seu motivum ad peccandum influens. Secus vero dicendum, si ille peccaret ex passione, sperando concomitanter peccatum illud postea simul sibi remitti. Qui autem auget peccata, praetextu quia Deus tam facile ignoscit decem quam quinque peccatis, peccat ex praesumptione; ut [Contin.] Tournely⁹.

Volens peccatum sub spe veniae non peccat contra spem.

Peccat contra caritatem.

Peccans cum spe veniae, peccans ex spe veniae.

¹ Lib. 2, tr. 3, cap. 8, n. 5. — ² Disp. 3, de 1^o Praec. Decal., qu. 4, punct. ult., § 1, n. 4. — *Juenin.*, Instit. theol., part. 7, diss. 4, qu. 2, cap. 2, art. 2, concl. 2. — ³ De Decal., cap. 1, art. 2, sect. 2, concl. 2. — ⁴ Quaest. disp., quaest. un., de Spe, art. 1, corp. — *Juenin.*, loc. cit. — ⁵ 2^a 2^{ae}, qu. 21,

art. 1, corp. — ⁶ Loc. cit., art. 2, ad 3. — *Bonac.*, disp. 3, de 1^o Praec. Decal., qu. 3, punct. 1, num. 6. — ⁷ In Decal., tr. 2, cap. 4, num. 17, v. f. — ⁸ Lib. 2, num. 126. — ⁹ De Decal., cap. 1, artic. 2, sect. 6, concl. 2, vers. *Raro tamen.*

Spes definitur.

Objectum materiale spei.

Objectum formale.

Vitia contra spem.